OBSERVATIONUM BOTANICARUM

PARS IV.

NICOLAI JOSEPHI JACQUIN

S. C. R. & APOST. MAJESTATI IN RE METALLURGICA ET MONETARIA A CONSILIIS, CHEMIÆ ET BOTANICES PROFESSORIS, SOCIETATIS HELVETICÆ PHYSICO-MEDICÆ, LUSATIENSIS, ET AGRICULTURÆ STYRIACÆ MEMBRI,

OBSERVATIONUM BOTANICARUM, ICONIBUS ILLUSTRATARUM,

PARS IV. ET ULTIMA.



VINDOBONÆ
EX OFFICINA KRAUSIANA.

MDCCLXXI.

VIRO
EXPERTISSIMO ATQUE ERUDITISSIMO
CHRISTIANO LUDOVICO
WILLICH,
CLAUSTHALIÆ IN HARCYNIA
MEDICINÆ DOCTORI,
BOTANICO EGREGIO,
HANC QUARTAM OBSERVATIONUM
PARTEM

Dicat
AUTOR.

OBSERVATIONUM BOTANICARUM
PARS IV.

CLEOME GIGANTEA.

Tab. 76.

CLEOME floribus hexandris; foliis ſeptenatis; caule inermi.

Linn. ſyſt. tom. 3. *pag.* 232.

Caulis rectus, fruticoſus & perennis intra duos treſve annos in hybernaculis noſtris humanam altitudinem ſuperat, & quarto vel quinto ætatis anno duodecimum pedem attigiſſe vidi. In ramos diſpeſcitur paucos, a foliorum delapſorum cicatricibus relictis inæquales. Tota planta pubeſcit, viſcida eſt, multumque fœtet. Folia digitata & longe petiolata ſparſim ramos juniores obſident: foliolis perpetuo ſeptenis, obverſe lanceolatis, integris, acuminatis; exterioribus gradatim decreſcentibus. Ramorum extremitates in racemos elongantur laxiſſimos, pedales, vel etiam plus quam bipedales; in quibus locantur longe pedunculati flores, ſtructura ſua a congeneribus mihi cognitis diverſi. Petala virentia, ru-

goſa, oblonga, obtuſa, ſuperne concava, omnia ſtant erecta, ſimulque arcte conniventia corollam monopetalam ferme mentiuntur. Stamina ſunt ſex æqualia. Siliquæ teretes & tumidæ ſemina nigricantia continent. Cayennæ in America torrida ſponte creſcit.

STACHYS ÆTHIOPICA.

Tab. 77.

STACHYS verticillis bifloris. *Linn. ſyſt. pag.* 395.
Sideritis erecta, Teucrii pratenſis folio, æthiopica. *Pluk alm.* 345. *t.* 315. *f.* 3.

Planta tota piloſa, radice perennans, caulibus annuis, ramis oppoſitis. Folia ſunt ex oblongo cordata, obtuſiſſime ſerrata, rugoſa, petiolis interdum breviora. Flores breviter pedunculati & ſolitarii inſident axillis foliorum in ſumma ramuſculorum parte, ſpicæ laxæ ſub forma. Calycis ſemiquinquefidi laciniæ ſunt ſetaceo-acuminatæ. *Corolla incurvata* ex calyce prominet, triplo calyce longior, labio ſuperiori extus villoſo, erecto, *fornicato, obovato, integro, longitudine laciniarum lateralium* labii inferioris; cujus eſt vero lacinia intermedia ampliſſima, plana, duplo longior, & antice crenata.

GLADIOLUS PARVIFLORUS.

Tab. 78.

GLADIOLUS foliis lineari-enſiformibus; caule ſimpliciſſimo; floribus ſpicatis.

Eſt facta a me icon ad plantam ſiccam in Herbarium Gronovianum a Ruyſchio absque titulo illatam. Quum videatur plane incognita, ne pereat ejus memoria, icone expreſſi. Radix a foliis deperditis videtur fuiſſe capillata. Folia ſunt radicalia omnia, lineari-enſiformia, acuminata, nitida, integerrima. Scapus eſt foliis duplo brevior, teres, glaberque. Flores ſunt in ſpica laxiore ſeſſiles, reſpectu congenerum parvi,

bracteis obtusis suffulti. Petala tria inferiora sunt utrinque sinuata, apice bifido. Superiorum duo lateralia sunt spathulata, obtusa, & superne revoluta: summum intermedium est arcuatum, paulo longius, angustum, apice latescens. Stylus est longitudine filamentorum.

SERIOLA ÆTHNENSIS.

Tab. 79.

SERIOLA hispida; foliis obovatis, subdentatis. *Linn. syst. pag.* 526. *spec. pl.* 2. *pag.* 1139.

Archyrophorus hirsutus, Bellidis obtuso folio. *Vaill. act.* 1721. *pag.* 278.

Hieracium multicaule, Bellidis folio molli. *Bocc. app.* 8.

Planta est annua, tota leviter lactescens, & setis albicantibus mollibusque hirsuta, imprimis autem in foliis & calycibus. Folia radicalia & caulina inferiora sunt obovata, basi longe attenuata, obtusissima, dentata & subaspera. Caulina summa lanceolata, acuminata, integerrimaque. Caulis ramose in pedunculos unifloros longosque abit. Calycis simplicissimi foliola linearia *sunt numero ut plurimum tredecim.* Inæqualiter quinquefidæ corollulæ luteum intus colorem habent, extus leviter purpurascunt. Receptaculo paleæ lineares insident, apicibus setaceis & flavicantibus. Pappus est plumosus.

CICHOREUM PUMILUM.

Tab. 80.

CICHOREUM floribus sessilibus; radice annua.

Satum primo vere, floret a Majo ad Augusti finem. Quotannis una cum radice periit. Ex radice fibrosa caulis exsurgit vix pedalis, asper, hirsutus, & parum ramosus. Folia sunt oblonga dentataque; infima obtusa basibusque subruncinata; summa integra & acuta; dorso villosa. In axillis flores sedent aut solitarii, aut sæpius plures aggregati, corollis cæruleis. Diversissimam speciem credo a Linnæanis. Patriam ignoro.

COTULA GRANDIS.

Tab. 81.

COTULA foliis alternis, lanceolatis, dentatis; caule erecto; floribus solitariis. *Linn. sp. pl.* 2. *pag.* 1275.

Planta elegans, erecta, parum ramosa & annua est. Omnia glabra sunt, si caulis basin leviuscule hirsutam excipis. Folia oblonga, superiora versus latescentia, crassiuscula, serrata, basi attenuata, Chrysanthemi Leucanthemi folia æmulantur. Flos coloris lutei radio destituitur. Videtur hæc esse varietas illa, de qua in observatione adjecta loco citato loquitur Linnæus, scilicet minor & ramosa.

CROTALARIA INCANA.

Tab. 82.

CROTALARIA foliis ternatis, *ovatis*, *acuminatis*; *stipulis setaceis*; leguminibus hirsutis. *Linn. sp. pl.* 15. *pag.* 1005.

Crotalaria trifolia, *fruticosa*, *foliis rotundis incanis*, *floribus spicatis* e viridi luteis; fructu pubescente. *Sloan. hist. jam.* 2. *p.* 34. *t.* 179. *f.* 1.

Anonis Americana; folio latiori, subrotundo. *Tourn. inst.* 409.

Annuam hanc plantam passim crescentem vidi in insulis Caribæis ad fruticeta in collibus apricis & siccis. Ex seminibus allatis propagata, quotannis copiosa dat semina matura in caldariis nostris, ubi lætissime vegetat. Arbitror, meam plantam esse eandem cum illa, quam Sloaneus descripsit. Certe aliam, quam hanc, Sloaneanæ convenientem, non recordor me aut in Jamaica, aut alibi invenisse. Et Sloaneus folia suæ rotunda tribuit, qualia etiam Tournefortius; licet icon Sloaneana hæc non ita exprimat. Sed in universum hujus celeberrimi viri icones ne quidem mediocres haberi posse existimo. Folia itaque ovata & acuminata, qualia suæ Linnæus adscribit, in mea planta nunquam vidi, sed potius obovata & obtusissima. Nec gibbum etiam in foliorum alis detego, nisi per hunc intelligat vir illustris petioli basin incrassatam. Cætera con-

conveniunt exacte descriptioni in horto Cliffortiano datæ. Scilicet caulis, rami, petiolique sunt hirsuti: minus folia. Flos fulvus in racemo laxo terminali, ad cujus exortum postea caulis ultra elongatur, extremitate alium racemum producturus. Stipulæ sunt setaceæ, villosæ & caducæ. Legumen hirsutissimum semina continet parva, nitida, fusca, compressa, & ex subrotundo reniformia. Non est in caldariis planta tam incana quam in solo natali.

PLANTAGO ALTISSIMA.

Tab. 83.

PLANTAGO foliis lanceolatis, quinquenerviis, dentatis, glabris; scapo subangulato; spica oblongo-cylindrica. *Linn. sp. pl.* 5. *p.* 164.

Plantago montana, crasso glabro canaliculato tenuioreque folio, profundissime radicata. *Till pis.* 146.

Ex radice perenni folia pedalia aut sesquipedalia excrescunt, ensiformi-lanceolata, acuta, nitida, crassa, nervis quinque extantibus in dorso prædita, dentibus *distantibus obtusisque inæqualia.* Scapi duos tresve pedes longi, obsolete striato-angulati, juniores scabri, adulti ferme glabri, spicam sustinent cylindricam, vix sesquipollicarem glabramque. Icon refert plantam juvenem minoremque.

BOERHAVIA CARIBÆA.

Tab. 84.

BOERHAVIA caule diffuso, procumbente; floribus diandris.

Valerianella folio subrotundo, flore purpureo, semine oblongo striato aspero. *Sloane hist jam.* 1. *pag.* 210.

Charactere hæc planta gaudet Linnæano. Sed limbus corollæ est quinquefidus, laciniis emarginatis. Filamenta sunt duo. Semen est obsolete tetragonum. Differre itaque mihi videtur a Boerhavia diffusa Linnæi. Habitantem vidi in insularum Caribæarum ruderatis, muris, ad margines semitarum in apricis & siccis. Planta diffusa, partim procum-

bens, partim erecta, bipedalis, vel etiam quadripedalis eſt. Caulis teres glaberque inferiora verſus rubeſcit. Flores purpurei umbellatim locantur in pedunculis communibus. Folia ſunt uti in Boerhavia diffuſa. Hæc cocta cumque aliis oleribus mixta a quibusdam in uſum culinarem trahuntur. Iconem in Martinica ad vivam plantam feci.

VERBENA JAMAICENSIS.

Tab. 85.

VERBENA diaudra; ſpicis longiſſimis, carnoſis, nudis, *foliis ſpathulato-ovatis*, ſerratis; caule hirto. *Linn. ſpec. pl.* 3. *p.* 27.

Verbena folio ſubrotundo, ſerrato, flore cæruleo. *Sloan. hiſt. jam.* 1. *p.* 171. *t.* 107. *f.* 1.

Verbena erecta diviſa, ſpicis e divaricationibus ſupremis aſſurgentibus. *Brown. jam.* 115.

Elegantem hanc Verbenam vidi paſſim creſcentem in Americæ fruticoſis humidiuſculis locis, ubi baſi ſubfruteſcens plus quam annua mihi eſſe videbatur. Ad trium quatuorve pedum altitudinem adſcendit, admodum evadens ramoſa diffuſaque. Caulis ramique pilis hirti ſunt. Folia oppoſita ſunt, ovata, obtuſa vel acuta, ſerrata, baſi paulatim longeque attenuata, inferiora triplo majora quam in icone exhibita ſuperiora, nervo medio etiam hirto. Inter axillares oppoſitos ramos locatur ſpica carnoſa, pedalis, inæqualiter cylindracea, ſtricta, virensque; e qua prodeunt ſucceſſive flores, a parte infima ſemper adſcendendo, pauciſſimi ſimul, inodori, violacei, fauce, tuboque tenui longo & incurvato albis. Antheræ ſulphureæ ſunt. Poſt delapſam caducam corollam, ſtylus de ſpica eminet. Sloanei teſtimonio in clyſmatibus ſolet plurimum adhiberi in ventris torminibus. Tum etiam ejusdem decoctum contra hydropem. Magnaque eſſe in æſtimatione apud Nigritas adverſus varios morbos. Saporem plantæ inveni herbaceum, habentem aliquid de phaſeoli legumine viridi, & ſimul linguam leviter pungentem.

VER-

VERBENA INDICA.

Tab. 86.

VERBENA diandra; ſpicis longiſſimis, carnoſis, nudis; foliis lanceolato-ovatis, oblique dentatis; caule lævi. *Linn. ſp. pl.* 2. *p.* 27.

Huic plantæ illuſtris Linnæus Zeylonam eſſe patriam aſſerit. Simillima certe eſt præcedenti, a qua differt, facileque diſtinguitur per caulem ramosque glabros, ſi ſolam foliorum baſin ſpatiumque ramorum inter folia intermedium exceperis; utpote ciliata. Folia inſuper multo in hac ſunt anguſtiora, vereque lanceolata, & utrinque attenuata. Spica eadem, ſed corollæ color purpureus. Planta in caldariis noſtris annua eſt.

THYMUS PATAVINUS.

Tab. 87.

THYMUS floribus verticillatis; pedunculis unifloris; caulibus ramoſis, adſcendentibus; *foliis ſubſerratis.*

Clinopodium perenne, pulegii odore, Majoranæ folio, Patavinum. *Bocc. muſ. tab.* 45. *fig.* B.

Sub titulo Bocconiano ſemina hujus plantæ mihi vario tempore a pluribus Botanicis transmiſſa fuerunt; quam opinor novam Thymi ſpeciem conſtituere, quamque propterea Patavinam dixi. Tota planta odore gaudet aromatico. Ex radice fibroſa & perenni caules plures exoriuntur palmares vel pedales, adſcendentes, ramoſi, tetragoni, pubeſcentes. Folia ſunt ovata vel lanceolata, ſupra medium magis minusque ſerrata, petiolata, acuta, ſubvilloſa. Verticilli ſunt ſubdecemflori. Pedunculi ſunt uniflori, axillares & breves. Calyx decemſtriatus pubeſcit. Corolla eſt rubella. Bocconius hanc ſe plantam ex horto Patavino habuiſſe dicit.

ASTER TENELLUS.

Tab. 88.

ASTER foliis ſubfiliformibus, ſcabris; pedunculis nudis; calycibus hemiſphæricis, glabris. *Linn. ſp. pl.* 6. *pag.* 1225.

Planta. *Pluk phyt.* 271. *f.* 4.

Radix apud nos eſt annua, & caules plures producit procumbenti-erectos ac palmares. Folia ſunt numeroſa, linearia, craſſiuſcula, ſpinoſo-ſerrulata & ſeſſilia. Rami elongantur in pedunculos nudos & ſubvilloſos. Florum corrollulæ radiantes ſunt cæruleæ. Totus plantulæ habitus elegantiam præ ſe fert. Sub dio creſcit læte.

CHRYSANTHEMUM BALSAMITA.

Tab. 89.

CHRYSANTEMUM foliis ovatis, oblongis, ſerratis. *Linn. ſp. pl.* 8. *p.* 1252.

Leucanthemum orientale, coſti hortenſis folio. *Tourn. cor.* 37.

Bellidioides Balſamitæ majoris folio, facie & odore. *Vaill. act.* 550.

Ex radice perenni plures caules exſurgunt erecti, ſubteretes, leviſſime villoſi, totique ramis aucti. Folia ſunt ovata aut lanceolata, obtuſa aut acuta, inæqualiter ſerrata, glabra, baſi attenuata, ſeſſilia, aucta paulo ſupra exortum aut utrinque aut ex altero dumtaxat latere foliolo auriculato, quod rarius omnino abeſt. Odorem ſpirant trita ſimillimum foliis Tanaceti Balſamitæ, quibuscum & colore & craſſitie conveniunt. Radii albi ligulæ ſunt obovatæ.

CHRYSANTHEMUM SEROTINUM.

Tab. 90.

CHRYSANTHEMUM foliis lanceolatis, ſuperne ſerratis, utrinque acuminatis. *Linn. ſp. pl, p.* 1251.

Bel-

Bellis major radice repente, foliis latioribus ſerratis. *Moris. hiſt.* 3. *p.* 29. *ſ.* 6. *t.* 9. *f.* 11.

Bellis americana procerior ſerotina ramoſa, flore ampliſſimo. *Pluk alm.* 65. *t.* 17. *f.* 2.

Radix perennis, caulis ramoſus, erectus, ſubvilloſus. Folia ſunt lanceolata, utrinque attenuata, acuta, ſeſſilia, ſuperiore parte ſerrata, inferiore integerrima, glabra; in aliis individuis omnia ultra dimidiam partem plurimis acuminatis dentibus ſerrata, in aliis in ſumma parte pauciſſimis, in aliis ſumma etiam ſine ullo dente integerrima. Flos magnitudine appropinquans Chryſanthemo Leucanthemo, interdum tamen iterum triplo minor eſt. Floſculi radii ligulam habent albam & anguſto-lanceolatam.

CHRYSANTHEMUM MONTANUM.

Tab. 91.

CHRYSANTHEMUM foliis imis ſpathulato-lanceolatis, ſerratis; ſummis linearibus. *Linn. ſp. pl.* 6. *p.* 1252.

Leucanthemum montanum minus. *Tourn. inſt.* 492.

Bellis montana minor. *Bacch. hiſt.* 3 *p.* 115.

Radix perennat, & plures caules emittit herbaceos, erectos, inferne hirſutiſſimos, ſuperne ſubvilloſos, in ſylveſtri planta ſimplices unifloroſque, qualem tabula repræſentat, in culta ramoſos & habitu toto ad Chryſanthemum Leucanthemum accedentes. Folia ſunt glabra, infima ſpathulata, obtuſa, baſique attenuatiſſima, hinc longiſſima reſpectu latitudinis, ſuperne ſerrata. Superiora ſenſim breviora evadunt, acutiora, magisque lanceolata, ita ut ſumma ſint ferme linearia, integerrima & acuminata. Flos Leucanthemo ſimilis, duplo minor in ſylveſtri, æquans in culta.

CHRYSANTHEMUM GRAMINIFOLIUM.

Tab. 92.

CHRYSANTHEMUM foliis linearibus ſubintegerrimis; caule ſimpliciſſimo. *Linn. ſpec. pl.* 7. *p.* 1252.

Leucanthemum gramineo folio. *Tourn. inſt.* 493.

Bellis montana, gramineis foliis. *Magn. monſ.* 291. *hort.* 31.

Plantula palmaris, tota nitida. Radix perennis plures caules emittit erectiuſculos, ſimplices & unifloros. Folia omnia ſunt anguſta, aut ſublinearia omnia, aut infima etiam ſpathulata, & obtuſa, ſerrataque. Calyx ſquamas habet ſubatratas. Corollæ radius eſt albus. Summa certe datur ſimilitudo inter Chryſanthema Leucanthemum, atratum, montanum & graminifolium, plantas valde variantes; ut non credam extra omne dubium eſſe poſitam earundem veram diſtinctionem.

CHRYSANTHEMUM MONSPELIENSE.

Tab. 93.

CHRYSANTHEMUM foliis imis palmatis; foliolis linearibus pinnatifidis. *Linn. ſp. pl.* 9. *p.* 1252.

Leucanthemum montanum, foliis Chryſanthemi. *Tourn. inſt.* 492.

Bellis montana major, foliis Chryſanthemi cretici anguſtioribus. *Magn. monſp.* 306.

Planta elegans, inodora, radice perenni, glaberrima aut ſubvilloſa, caulibus erectis ramoſisque. Folia ſunt inferiora bipinnatiſida, ſuperiora pinnatifida, ſumma pauciſſima (ſcilicet unicum plerumque) integerrima: laciniis linearibus acutisque. Flos ſimillimus eſt Chryſanthemo Leucanthemo.

CHRYSANTHEMUM MYCONIS.

Tab. 94.

CHRYSANTHEMUM foliis lingulatis, obtuſis, ſerratis; calycum ſquamis æqualibus. *Linn. ſp. pl.* 14. *p.* 1254.

Chryſanthemum Myconis. *Dalech. hiſt.* 873.

Chryſanthemum latifolium. *Bauh. hiſt.* 3. *p.* 105.

Bellis lutea, foliis ſubrotundis. *Bauh. pin.* 262.

Ex radice annua caulis aſſurgit teres, ex viridi rubeſcens, erectus, totus hirſutus, in ramos ad angulum ferme rectum patentes a radice uſque diviſus, altitudine pedalis vel bipedalis. Folia infima ſunt ſubſpathulata & ſeſſilia; ſuperiora lingulata & ſubamplexicaulia, omnia glabra, acute ſerrata, ingrate ſapida, nec laciniata. Ramuli terminantur in pedunculos teretes, minus hirſutos, apice non incraſſatos, virides, nec obſervatos a me ante floreſcentiam alius coloris. Floſculi omnes ſunt concolores & lutei. Calycis ſquamæ plus minus villoſæ, longitudine gaudent omnes eadem, ſibi mutuo tamen incumbentes.

CARDUUS PYRENAICUS.

Tab. 95.

CARDUUS foliis decurrentibus, oblongo-lanceolatis, margine ciliatis & ſpinoſis, utrinque tomentoſis; floribus ſubſeſſilibus.

Cirſium pyrenaicum altiſſimum. *Tourn. inſt. pag.* 448.

Planta elegans, caule ſtriato, vix tomentoſo, a foliis decurrentibus ſpinoſo, cæterum inermi. Folia ſunt omnia ex oblongo lanceolata, acuta, decurrentia, margine ſpinoſo-ciliata cum ſpinis validioribus ſubulatis nitidis longisque hic illic egredientibus, ſuperne tomentoſa leviter, inferne lanata & incana; ſuperiora ſubintegra, infima (quale unum folium adſtat) inæqualiter ſinuata. Flores in capitulo terminali denſo locantur, ſeſſili etiam uno alterove in ſummorum foliorum axillis. Calyces ſunt glabri, ſquamis infimis ſpinula terminatis, ſummis inermibus. Corolla eſt purpurea.

CYTISUS HIRSUTUS.

Tab. 96.

CYTISUS pedunculis ſimplicibus, lateralibus; calycibus hirſutis, trifidis, ventricoſo-oblongis. *Linn. ſp. pl.* 5. *pag.* 1042.

Cytiſus foliis ſubrufa lanugine hirſutis. *Bauh. pin.* 390.

Cy-

Cytiſus tertius. *Cluſ. hiſt. p.* 94.

Frutex ſuberectus, a pedali ad humanam altitudinem excreſcens, ramoſus. Rami juniores, foliorum dorſa, petioli, pedunculi, calyces, & quam maxime legumina pilis rufis ſunt hirſuta. Foliola ſunt obovata & obtuſa cum acumine. Pedunculi aut axillares aut laterales, plerumque plures ex eodem loco ortum ducunt communem. Flos luteus eſt. Calyx ſemitrifidus eſt: lacinia infima apice bidentata. In Auſtria nondum detexi hanc plantam ſylveſtrem. Hinc erravimus omnes, qui hanc pro Auſtriaca planta publicavimus, niſi re vera ab aliis inventa ibidem fuerit. Quam cum hac male confuderam, eſt alia Cytiſi ſpecies, quæ Linnæo videtur ignota. Hujus delineationem dabo in novo opere, quod ſub titulo Iconum Floræ Auſtriacæ prodibit.

CUCUBALUS ITALICUS.

Tab. 97.

CUCUBALUS calycibus clavatis; petalis ſemibifidis; panicula dichotoma erecta; genitalibus declinatis; caule incano. *Linn. ſp. pl.* 9. *p.* 593.

Primo anno folia radicalia dumtaxat profert; altero floret. Caulis duos treſve pedes altus erigitur; teres, tomento breviſſimo albicanti veſtitus, ramoſus, ſuperne paniculatus. Folia ſunt caule minus tomentoſa, ſeſſilia, lanceolata, obtuſiuſcula, aut acuta; ſumma ferme linearia. Ramuli ſunt dichotomi. Calyces decemſulcati, clavati, ſuberecti. Petala alba, bifida. Stamina concoloria cum piſtillo terram verſus inclinantur.

ATROPA PHYSALODES.

Tab. 98.

ATROPA caule herbaceo, foliis ſinuato-angulatis; calycibus clauſis, acutangulis. *Linn. ſp. pl.* 3. *p.* 260.

Alkekengi amplo flore violaceo. *Feuill. peruv.* 724. *t.* 16.

Plan-

Planta elegans, annua, humana apud nos altitudine, ramofiffima, dium fert, & quotannis, in horto femel culta, fponte enafcitur. Floret æftatem integram & autumni partem. Citato loco apud Linnæum optima & ampla defcriptio habetur.

CARDUUS VIRGINIANUS.

Tab. 99.

CARDUUS caule foliofo, unifloro; foliis lanceolatis, fpinulofis, fubtus tomentofis; caule inermi. *Linn. fp. pl.* 18. *p.* 1154. *Gron. virg.* 47.

Cirfium minus virginianum, fingulari capitulo, caule foliofo. *Moris. hift.* 3. *p.* 150.

Caulis foliofus, erectus, ftriatus, inermis, & vix tomentofus, aut eft uniflorus, aut in paucos fimiles ramos dividitur. Folia funt lineari-lanceolata, acuminata, integra, feffilia, marginibus fpinofa, fuperne glabra, fubtus tomento niveo nitidoque candicantia. Calycinæ fquamæ in nigrum acumen terminantur. Corollæ funt ex rubro purpureæ.

SCORZONERA GRAMINIFOLIA.

Tab. 100.

SCORZONERA foliis lineari-enfiformibus, integris, carinatis. *Linn. fp. pl.* 4. *p.* 1112.

Scorzonera caule ramofo; foliis linearibus acuminatis, carinatis; calycibus acutis. *Gmel. fib.* 2. *pag.* 4.

Scorzonera Lufitanica, gramineo folio, flore pallide luteo. *Tourn. inft.* 477.

Radix perennis, extus fufca, ætate multiceps, caulem unum alterumve emittit teretem, ftriatum, erectum, femper totum quantum foliofum, nunc fimpliciffimum atque uniflorum, nunc ramo fimili uno alterove auctum, inferne ad foliorum imprimis axillas leviter lanatum, cæterum glabrum, pedalem vel tripollicarem. Folia alternatim fparfa, glabra, integerrima, enfiformi-linearia, acuta, etiam fub ipfis floribus floralia habentur. Flos calyce glabro, petalisque dilute luteis, fimilis eft


flori Scorzoneræ humilis, a qua certiſſime differt folioſiſſimo ſemper caule. Magis convenit cum Scorzonera purpurea, a qua habet imprimis diverſum florem. Folia interdum ſunt duplo anguſtiora duploque plura, quam exhibentur in tabula. Icon Buxbaumii, a Linnæo citata, mihi *videtur* magis quadrare in Scorzoneram humilem, in Iconum Floræ Auſtriacæ tabula *trigeſima ſexta* exhibendam; quin ipſe dubitanter ſuam plantam pro Tournefortiana Buxbaumius proponit.

CUCUMIS ACIDUS.

CUCUMIS foliis cordatis, angulatis; angulis rectis: pomis turbinato-oblongis, glabris.

Ante novem annos ſemina ex Hollandia ſine titulo acceperam. Sata in Horto Botanico produxere plantas, habitu Cucumeri ſativo ſimillimas, fructu ab eodem diverſiſſimas. Viennam redux in horto non reperii. Caules & folia dentata ſunt aſpera. Fructus cucumerem ſativum majuſculum æquat, externe virens, & ſine ullis ſulcis aculeisque glaberrimus & nitidiſſimus, forma oblonga verſus baſin paulatim attenuata, obtuſiſſimaque. Interne Melonem refert, albeſcit, ſapore eſt acido, ſeminaque continet alba & duplo minora quam in cucumeris ſativi fructu ejusdem voluminis. Ne pereat hujus ſpeciei memoria, ejus hic mentionem feci.

Occupato negotiis officii mei, non vacat amplius ipſi mihi ſtirpium icones delineare, quas ſemper invita Minerva, hinc lente ſemper perficiebam. Propterea monere debeo, paucas eſſe in hac parte delineationes meas, nec fore alibi ullas in poſterum, niſi meas verbis expreſſis notaverim. Tum etiam Scopoliæ figura, in parte ſecunda exhibita, ab ipſo clariſſimo Scopoli mihi transmiſſa fuit.





Cleome gigantea.



Stachys æthiopica.

T. 78.



Gladiolus parviflorus.






Seriola æthnoides.



Cichoreum pumilum.


T. 81.




Cotula grandis.



T. 82.



Crotalaria incana.




T. 83.



Plantago altissima.



Boerhavia caribæa.





Verbena jamaicensis.



Verbena indica.

T. 86.



Verbena indica.

T. 87.



Thymus patavinus.



Aster tenellus.





Chrysanthemum Balsamita.



T. 90.



Chrysanthemum Serotinum.

T. 91.





Chrysanthemum montanum.

T. 92.




Chrysanthemum graminifolium.





Chrysanthemum monspeliense.







Chrysanthemum Myconi.



T. 95.



Carduus pyrenaicus.

T. 96.



Cytisus hirsutus.





Cucubalus italicus.



Atropa physalod



Atropa physalodes.


T. 99.



Carduus Virginianus.





Scorzonera graminifolia.

